



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 12. De Dæmonibus, ad tex. com. 30.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

appetitus, saltem is, qui est concupiscentia boni. Propterea nunc concludit, de his hoc loco satis fuisse dictum, pluribus autem post dicendum esse, cum de singulis facultatibus, propriisque earum obiectis tractabitur. Interim sat sit cognoscere, quibuslibet animalibus inest tactus, inesse & appetitum.

Phantasia in quibus
 An verò in sit quoque phantasia, quemadmodum in textu 20. dictum est; non satis manifestum est. Tum quia spongiæ quidem, inquit Philoponus, tristes & iucundum sentiunt: quas tamen phantasia habere nullus merito crediderit. Siquidem ea sensibus melior est, nec illa alium sensum habet præter tactum. Tum quia, ut habet Simplicius, etsi in omnibus imperfecta quædam sit phantasia, quæ circa obiecta præsentia versatur, & ea nobis alluere facit, dum cum delectatione sentiuntur: non est tamen perfecta illa, quæ absentia quoque obiecta percipit, & vim quandam habet memoriæ, propriamque. in capite organum: neque prior illa imperfecta & proprio carens organo, phantasia dici posse videtur. Sed hoc postea considerandum erit. Nunc absolvenda est inchoata distributio facultatum antea enumeratarum. Et cum in quibusdam dictum sit solam esse vegetantem, in aliis sentientem item & appetentem, addendum est, in aliis præter has eam reperiri, quæ de loco ad locum movet: quemadmodum in illis omnibus apparet, quæ progrediuntur, aut reptant, aut serpunt, aut natant. In aliis demum vim quoque ratiocinandi & intelligendi, ut in homine.

diavonitoy quid.
 Quod autem nominat *diavonitoy* & *voib*, utramque hanc vocem ostendit rem eandem significare. Et quod antea *diavonitoy* sæpe nominavit, hoc loco interpretatur significare intelligens. Ita exponunt Themistius & Philoponus: aut si quid differunt, in hoc solè differunt, quòd *diavonitoy* intellectum potestate & idèd ratiocinatione vident, *voib* intellectum actu, aut habitu, & idèd contemplatè significet. Alioqui plura essent facultatum genera, quàm ea quinque, quæ superius proposuit.

Ceterum cum ait, vim hanc ratiocinandi & intelligendi inesse in homine, aut si quid est aliud huiusmodi, aut homine diuinius: priorè partem Simplicius refert ad animam nostram ab hoc corpore crasso separatam; aliòque tenuissimo videntem: posteriorè ad demones, qui in hoc corpus migrant, atque ad cælestia corpora, si ea sint animalia, ut asserbant Platonicis. Sic enim præter intellectum inferioribus quoque facultatibus videntur. Sanctus item Tho. & Agidius ad cælestia corpora & intelligentias separatas, in quibus est intellectus, etsi inferiores facultates non ad sint. Quæ interpretatio minus est Aristotelis consentanea. Tum quia cum hoc loco non solum enumerare voluerit, sed etiam ordinare & disponere facultates animæ in viventibus, ut inferiores sine superioribus esse possent, superiores non item sine inferioribus. nequeunt potestem illis verbis ex naturæ intelligi, in quibus sine aliis facultatibus. solus viget intellectus. Tum quia si ita esset, ea verba non pronuntiasset dubitando, an huiusmodi essent naturæ, aut homini similes, aut eo meliores. Sed quæadmodum ait Themistius, de solis animalibus dubitando loquutus est, an aliæ quoque essent animalium naturæ præter hominè, in quibus unà cum intellectu vires & potestates ceteræ coniunctæ essent, ut ab aliis, præsertim Platonicis, ponebantur. Maxime verò cum hominem videret esse speciem atomam, reliquas autem animas &

facultates in plurimis viventium speciebus reperiri. Melius igitur Philoponus omnia refert ad demones quosdam, qui eiusdem ferè cum anima nostræ naturæ sint. Platonicis namque, ut continuis videntur rerum ordo seruetur, neque ab extremo ad extremum sine medio traducatur natura: inter diuinam naturam & humanam animam, quatuor illa cælestium hæc terrenam regionem habitat, mediam esse voluerunt naturam dæmonicam, quæ mediam inter cælum & terram regionè teneat. Nam & eandem ob causam animas nostras ad cælesti vita ad accedendum, tum ad terrenum hoc corpus descendendum prodiderunt: & demones intellectibus illi materia constare dixit Plotinus in lib. de Amore cap. 6. ut per illam in hanc quoque corporum materiam veniant. Animam mundi & octo cælestium orbium, ac siderum, quatuorque Elementarium spirituum animas, Deos, animalia, quæ ætheream, æthereamque regionem habitent, Demones, quæ terram incolant rationalia, homines appellat. Sicut ita loquitur in Coniuiio Plato. Omnis natura dæmonum inter mortales, Deosque est mediana interpretatur & trajicit humana ad Deos, diuinitatem homines. Hominum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta, sacrosq. solemnnes, instituta & ordinem, in amborum medio constituta tamen complet, ut vni versum se cum ipso tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit sacerdotumque diligentia circa sacrificia, expiationes, & incantationes, & diuinationem omnem, atque magicam. Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos, hominesque conficitur, & vigilantiis nobis & dormientibus. Nam perinde, inquit Tyrius ser. 26. atque inter Græcos & Barbaros, quos est magna vocis ac linguæ differentia, interpretes sunt, qui alteriorum voces suscipiunt significationemque vicissim deferendo, diuinitatem illam conciliant commerciumque inuicem inducunt.

Ita intelligi propter dæmonum genus cum Deo cumque hominibus versari. Et rursum in Cratyllo expostor omnino separat Plato naturam generis Deorum, Dæmonum, Heroas, Homines. Dicitur autem quod Græcorum præfici Solem, Lunam, Stellas, Cælum, quæ in perpetuo cursu versari consueverunt, Deos esse putarent. Demones quasi sapientes quod ex auro, hoc est sapienti hominum genere post presentis vitæ facta existant. Demones, inquit sancti, terrestres, optimi, malorum expulsores, & custodes hominum. Heroës autem non sunt, sed ab amone, quod homines quidem essent, sed ex Deorum erga humanas mulieres, aut hominum erga Deos amoris progeniti. Homo demum ad demones, quasi ad Deos contemplas ea, quæ videntur, vidit, cum animalia carnis, quæ videntur, non considerent, nec contemplantur. Quam ob causam in 4. lib. de Legibus, n. 10. primò deinde demonibus, tum Heroibus, sacrificia ad demones posuit; ac demum ex hominum genere præter cultum debitum persolueudum.

Dæmonum potest non vnum est genus: sed illi aliis perfectiores. Quidam maxime intelligentes, alij rationales potius & ad humanam conditionem accedentes; alij demum mediz inter hominum naturæ. Supremi diuini, medij animales, inferiorum materiam propinquos: quos eiusdem ferè cum hominibus conditionis appellat Philoponus. Quin etiam illis Philopoli verba interpretantur. Quin etiam Orpheum reperio quinque rationum aliam a natura

Ium genera posuisse. Primum eorum, quorum corpora solus ignis. Hec si aspectabilia, stella; si inaspectabilia, demones. Alterum, quorum corpora ignis & aer optime permixtus: Hi aetherei demones, aut aerei. Tertium, in quibus aer & ignis cum tenui quadam aqua: hi demones aquei. Quartum, in quibus tenuis etiam terra, quasi terrae halitus: Inde terreni demones, aut etiam subterranei, si terra caernas subeant. Qui densati interdum attritari possunt. Et ut ait Piellus pulsati doleant, igneque comburantur & cinerem quoque relinquat: nutrient, excrementa seminaque & genitalia habeant membra. Postremum hominum, quasi infimorum demonum, in quibus solidorum quoque permixtio. Quod sublimiora, puriora, & simpliciora corpora, eo diutius retinentur. Hominum generi caduca corpora breui mutat tempore. Terreni demones & aquei longevius sunt; non tamen indissolubiles. Caelestes & aetherei sempiterni. Illi perturbationibus non secus ac homines obnoxii. Hi propter naturae simplicitatem, locique puritatem, perturbationum expertes. Itaque quod Plotinus Platonem in Epinomide sequutus hoc Deos a demonibus discrevit, quod Dij a passionibus liberi sint, demones nequaquam: Non de vniuerso genere, sed de parte accipias. Sicut & illud, Deos immortales & impatibiles esse, homines mortales & patibiles, demones immortales, sed patibiles; ita oportet accipere, ut patibiles demones immortales dicantur, non absolute, sed hominum comparatione, quorum animae frequentius corpora mutant. Alioqui quod patitur, dissoluatur aliquando necesse est. Iamblichus tamen in lib. de mysteriis, tum demones, tum heroes impatibiles esse probavit, quod Deum in mundi ordine conseruado semper comitentur: vbi autem est passio, perpetuus ordo non seruatur. Iam quibus nil effluit, nutrimento non est opus. Idem prima duo animalium genera eo non indigent: sed cantibus, figuris, & luminibus delectantur, nobisque conciliantur. Indigent reliqua. Sed vbi nil terreneum, satis odores aromatatum ac florum sunt. Postremi generis demones crassioribus sanguinis & carniū odoribus indigent. Porphyrius hoc putauit induxisse nos ad animalium carnes vorandas, ut inde congruens sibi alimentum haurirent. Quare homines ventri deditos vasa esse dixit demonum immundorum. Aquei demones vegetanti & sentienti vbiq. naturae fauent: aerei rationali potius facultati: ignei ad sublimiora contemplanda rationem conuertunt. Ita voluptuosae aquei, actiuae aerei, contemplatiuae ignei vitae praesunt. Animas in corpora descendentes deducunt aerei, reducant ignei sublimiores. Rursum tot sunt demonum ordines, quot Stellarum. Alij Saturnij nominantur, alij Iouiales, Martiales alij, Solares, Venerei, Mercuriales, Lunares. Omnes aut in igne degunt, aut in aere puro, aut in aere crasso & nebulofo prope terram. Et cum septem praecipua a Deo in homines distribuenda numina crederent Platonici, contemplationis acum per Saturnum, Saturniōsq. gubernandi potestatem per Iouē ac Iouiales, magnitudinē animi per Martē & Martiales; sensu claritatē per Solem ac Solares, amoris ardorē per Venere, venerēōsq. interpretandi facultatē per Mercurium & Mercuriales; gignendi demum virtutem per Lunā & Lunares demones: Per secundos, inquam, ac mundanos deos, ac demones tāquam Deorum

ministros & ad nos desinati & in nobis confirmari; demonūq. esse verē inferioris mundi gubernatores voluerunt. In de triplice prouidentia. Vniuersalis in Deo, quae prospicit omnibus: minus vniuersalis in secundis Diis, quae omnibus quidem consulit, non tamen omnia, sed quaedam largitur munera: particularis deniq. in demonibus. quae singulis particularia quaedam adfert, ergo ut ad Aristotelem reuertamur, quod dixit (aut si quid est aliud huiusmodi, aut homine melius) heroes & demones a Platone & aliis nominatos significasse videtur. Heroes, inquam, ex hominum genere, quos rationalem animā liquido & puro corpori adiunctam Pythagoricus quoque Hierocles definiuit, & demones hominibus meliores.

Disgressio XII. De Demonibus.

Quos scriptores Ecclesiastici Angelos, & Peripatetici separatatas substantias, aut intelligentias, Platonici demones appellauerunt. Nam etiam corpus illos habere voluerint, plerique tamen veteres quoque Ecclesiastici Patres (quos non est huius loci commemorare) Angelos omnes constat fecisse corporeos: spiritūsq. appellatos dixisse, non quod corporis expertes sint, sed quod tenuissimo corpore, quod oculorum nostrorum aciem effugiat, praediti sint. quemadmodū aer etiam ipse, qui sanē corpus est, sepe in sacris litteris spiritus appellatur.

De Socratis demone curiosa quaestio, de qua scripsere complures. Ego igneam & Saturnium ex praestantissimis fuisse Platonicē dixerim. Nam ad sublimiū contemplationē erigebat mirificē. Deus interdū appellatur, quod praestantissimi demonum & Dij dicantur. Merito, inquit in Alcibiadē Proclus, demone suum Socrates appellabat & ueum, tanquam ex demonū ordine summū, & si priuarū & popularē appellet eum Maximus Tyrius ser. 26. Deinde eustodē illius Angelum fuisse, crediderim propter ea quae tum vniuersē de demonibus tum de illo traduntur. Vniuersē Plato in Ciuili & Critia demones voluit esse praesides, pastores, & gubernatores hominū, ut hi praesides sint, pastores, & gubernatores brutorū animalū. Neq. eos hominibus modo, sed & regionibus praepositos esse. Vaticinijs potro, augurijs, somnijs, oraculis, vocibus, sacrificijs, inspirationibus nos regūt. Quare hoc solum depro, quod demones ex sapientibus hominibus fieri prodidit, vel ut loquitur Tyrius ser. 27. nihil aliud demone esse, quā nudū animum, corpore deposito, qui priorē miseratus vitam, misordiaq. motus erga cognatos animos, qui adhuc continentur in terra, aut eos in proprium gregē reducere, errantibusq. succurrit. Et altero, quod in Epinomide addidit, cogitationes nostras omnes eos cognoscere: cetera ferē cū iis optime consentiunt, quae de Angelis a scriptoribus nostris docentur. Nam & apud Calcediū quōq. & alios Platonicos vnum reperies demones nobis custodes dedisse. Et apud Iamblichum media quaedam nūminū genera, sphaerica, velut alij, nominantur, dij mediocri: praesidesq. sunt discretionis atq. iudicij, obulūntq. quae facere deceat, quae declinare. neq. demoneū propriū licere eligere ex dominio nauitatis, sed ab alio re principio, nepe a diis superioribus, dari: neq. hunc alicui parti nostrum, sed toti praesesse: vtrumq. vni praefectum esse, non plures. De seipso verō auctor est in Theage Socrates. A prima pueritia demonem illum sibi datum fuisse, velut vocē quandam ea dissuadentem, quae agi nollet. Demonica potestatis

Providētia triplex

De Socratis demone



est opus, ait Proclus, dum aliquis eruditur, ut se ipsum purget. quod etsi daemones non extrinsecus in nos agendo, sed tanquam ex puppi (ut idem loquitur) nos intus dirigendo, plerumque perficiant: (Non enim extrinsecus, inquit, passivè vox in Socratem incidebat, sed ex intimis inspiratio per animam totam procedens, & vsque ad sensuum instrumenta progrediens, postremò vox euadebat, in notitiam videlicet veniens, non tam sensu quopiam, quam consensu) exteriori tamen interdum vtuntur signo, quò minus de illorum ope ac subsidio dubitemus. Ita & loquentem Socrates, & dictantem Mercurius Trismegistus in Pimandro cap. 12. audierunt. Sed minus rectè facta prohibentem Socrates, bona & vitia docentem Mercurius. Vtrumque Angelorum munus esse scimus. In Phedro extat exemplum. Socrati flumen transitorio demon signum fecit, vòxque audita, quæ abire vetabat antequam expiasset, quasi aliquid erga Deum deliquisset. Quam ob causam in Apologia, quam ad Athenienses habuit moriturus, ex eo, quòd vox illa, quæ vel in leuissimis rebus in tota semper se opposuerat vita, si quid minus rectè facturus fuisset, tunc verò nec egredienti domo, nec ad mortem properatū contradixisset vnquam, mortem non esse malam argumentatur. Pertinet & illud ad Angeli custodiam, quod in Theage narratur, dæmonem illum nequaquam omnes ad Socratis familiaritatem admisisse; quosdam etiam omnino prohibuisse. Alios permisisse quidem, ac eos solos illius consuetudine profecisse, quibus fauebat demon. Et alios firmum ac durabile beneficium habuisse, alios quandiu solum erant cum Socrate, mox nihil à cæteris differentes. Hinc in Apologia calumniam diluit Socrates, ostenditque se Deos non negare, qui dæmonum opera ac Deos fateatur. Aut enim Dij, aut certè Deorum filij ac ministri daemones sunt. Verùm hi omnes, dum se humanis rebus gubernandis immiscerent, boni nimirum daemones sunt.

An sint
mali
daemones

An sint mali daemones. An sint aliqui mali, maior questio, nec omnes consentiunt. Aliquos tamen malos quoque cognouisse Platonem, contendunt ex Platonis Iamblichus, Porphyrius, Pselus, Plutarchus, & alij. Nam & ab Aegyptiis acceperat, impurius daemones ad inferos à Ioue deturbatos, qui & homines pro viribus ad ima detrahâr. Et à Pherecyde Syro, multos à Ioue rebellasse, à quorum maleficiis plurimum cauendum sit. Quin etiam ab Orpheo, subterraneos daemones scelerum vltiores. Quare, quod ad initium Timæi narratur de bello quodam inter Athenienses Atlanticosq. commisso, Origenes per allegoriam significasse voluit pugnam inter inferiores & superiores daemones: & Porphyrius contentionem inter daemones in generationem deducentes, & animas ad supera contendentes. Tria enim distinxit daemorum genera, diuinos quosdam; alios secundum habitudinem quãdam, tertios malos & noxios animabus, quibus occultentem plagam accommodarunt Aegyptij. Democritus otabat, vt bonos daemones haberet obuios: quippe Plutarchi testimonio multos esse malos existimaret. Quin & Plotinus in libro de proprio cuiusq. demone cap. 6. & malos, & fatuos, & ignauos commemorat. Et Porphyrius daemones quorum animi sunt iniqui, corpora quoque habent deformia: quorum verò probi sunt animi, corpora esse formosa. Aristoteles cum non alias

separatas substantias admitteret, quàm quæ ex cælorum motu colligerentur, vt ex 8. libro Physicæ & 12. metaphysicæ cognoscimus, nullos esse malos daemones iudicauit. Itaque quæ in arripitiis cernimus, in atram bilem reuocauit in problemate primo sect. 30.

Ergò aut vniuersè de substantiis separatis iudicari disputatio potest, aut in specie de illis, quæ malos daemones appellamus. Eiusmodi substantias esse, & quidem innumerabiles, certa fide ad religionem credimus, sacrarum litterarum testimonio confirmati. At philosophicis argumentis necesse non demonstramus, maxima probabilitate suademus. Nam si demonstrari posset, quæ demonstratio deduceretur ex causa, aut ex effectu. Ex causa duci nulla potest. Quoniam alia non est causa, quàm diuina voluntas, quæ illas producit. Hæc autem nobis ignota est. Ex effectu autem demonstratio Aristotelis ex cælorum motu. Verùm vt graues Philosophos mitam existimare corpora illa non ab illis substantiis, sed à natura sua & formante forma moueri: eo argumentum conficeretur, plures non esse eiusmodi substantias, quàm sint cælestes orbes. Quòd si Theologorum demonstrationibus vteremur, quasi hoc collegit S. Tho. in 2. lib. contra gentes cap. 4. cæ non nisi probabilitatem habent. Nam vtriusque capita referuntur. Primum est, oportere effectum esse similem suæ causæ. Quod cum non nisi in synonymis causis habeat locum, & Deus nihil effectuum rerum causis synonymis, nihil probè videtur posse concludere. Alterum, causas, quæ agunt per aliam, debere habere effectum similem arti, qua agunt. Sed hoc non est intelligendum secundum naturam, sed secundum vim significandi. Nec enim domus eiusdem est naturæ, cuius est ars, quæ artificis mente continetur, sed talis, qualis designata fuit artificis mente. Nec aliud concludi potest, quàm tale esse mundum, qualem Deus mente conceperit.

non item aliquis oportere esse res creatas spirituales. Tertium, quædam esse in mundo, quæ solum habeant corpus sine spiritu, vt plantæ alia, quæ corpore contentæ & spiritu, vt homines vniuersique ordinem & perfectionem possunt tertium quoddam genus, quod spiritum habet sine corpore. Hoc argumentum probabile est, non necessarium. Aut si omnino spiritus aliquis requiritur, Deus ipse est spiritus sine corpore, & anima nostra spiritalis est, neque à corpore pendens. Quamquam etsi probaretur, aliquam esse spiritalem substantiam, non tamen ostenderetur esse innumerabiles, & aliquas bonas, alias malas.

Experientia tamen, quæ rationibus omnibus melior est, satis ostenditur, tum Emergentiorum, tum maleficorum, tum aliarum rerum multarum, quæ non nisi per spiritus fieri possunt. Vt quòd Vestalis virgo tribro portauerit aquam in Capitolium ad suam virginitatem testandam (etsi S. Tho. in quest. 6. de Potentia, bonis id tribuunt Angelis): Circes Vlyssis focios in animalia muta mutauit, Diomedis socij in aues conuersi fuerint, Atreides in lupos, & alia plurima. Augustinus nouacula inspectante populo scidentem cœcum vt in primo de Diuinatione autor est Cicero, Cæco lumen restituerit sputo, eiusque debita confirmauerit calce Vespasianus Imperator, vt Suetonius Tranquillus narrat, & plura apud Valerium

Valerium Max. lib. i. In Alexandri Scaliolorum Principu nativitate fuisse facta miracula, legimus apud Iulianum & alios. Extant & in sacris litteris ea, quae in Aegypto coram Pharaone à Magis fuerunt facta; quae q. in fine mundi plurima sicut ab Antichristo: Simon Magus volare tentavit, ut Ecclesiastici scriptores testantur; & Magi efficere solent, ut ligna statim ambulent & saltent, loquantur, dent respoſa, & similia. Accedunt subita corporum translationes ad remotissima loca, ut in Sagis, Magis, & Strigis. Tum vero homines ad infantiã deducti & voluntate ad concupiscentiã amorem inflammati. Alterum, siue corrumendo sensuum organa & dissipando spiritus, siue in aliqua vehementi cogitatione diutius detinendo. Alterum, aut persuasionebus internis, aut humorum commotione; ac praesertim sanguinis accensione. Virumq. etiam naturalibus medicamentis inuisibiliter adhibitis. Praeterea usus matrimonij prohibitus, aut corporis cuiuspiam interpositione, aut generatricis virtutis respiracione, aut genitalium membrorum detentione; aut oclusionone spiritus, cuius opera fit congressus, aut turpissima feminae specie imaginationi, mentive obiecta. Corpus item inuisibile factum; ut in Apollonij vita narrat Philastrus: siue species visibiles impediendo, siue densando inedium, siue aliud corpus interponendo, siue corpus alio transferendo. Immo nec desunt corporum transformaciones in alia corpora, ut Moſis virga in serpente mutata. Quod de perfectioribus animalibus credendum non est, sed solum de imperfectioribus quibusdam, quae aut ex putredine, aut alio modo coniungendo agentia patientibus gignuntur. Quare quae de Vlyſſis & Diomedis foceris dicuntur, aut fabulosa sunt; aut imaginatione evenerit, inducto somno & immillis operationum bestiarum phantasmatis, aut locali corporum mutatione, ablatiſſis scilicet hominibus, & bestiis, aut aubis in eorum locum substitutis, aut bestiarum; autiumve figuris corporibus humanis circumiectis. Aut demum praestigis: ut de muliere in equam mutata Palladij historia narrat. Ad sunt & morbi & incómoda plurima; immo & neceſ hominum ac bestiarum, ut in facta Iob historia legitur, & apud Tobiam de septem Sata maritis interfectis. Et in 12. Tabulis; Qui fruges excantaverit, pœnas dato; & apud Virgilium, Satas aliò vidi traducere messes, & alibi: De duce te montib. ornos. Oliuetum vniuersam viam publicam tranſceſſum, aruãq. inde in locum oliueti profecta; narrat Plin. lib. 17. cap. 25. & accusatum quendam, quod vicinorum fruges veneficiis in suum agrum transferret, lib. 18. cap. 6. Mitto incubos & succubos, atque obſeſſos à demone liberatos, ac deniq. mortuorum animas ab inferis euocatas, ut Samuelis animã à muliere Pytonissa in 1. lib. Reg. c. 28. ut senserunt plurimi, & idem in lib. Ecclesiasti. c. 46. Mortuus dicitur prophetaſſe: etſi quosdam non ignorẽ secus iudicasse. Deniq. de Apollonio Tyanæo, Apuleio, & Zoroastre, qui fuerunt Magi; plurima extat apud veteres, ac probatos auctores. Qui verò hæc in Astorum, aut imaginationis, aut atrae bilis vim referre conati sunt, inanẽ proſus laborem susceperunt, & nihilque dixerunt, quod ullam probabilitatis speciem haberet. Nam etſi non negemus, admirabilem esse in permultis herbis, ac lapidibus virtutem ad diuerſos effectus producendos: illarum tamen scientia obscurissima est, necdum ab hominibus inuenta: imò à sapien-

tissimis quibusque neglecta. Sed & pleriq. effectus enumerati omnem huiusmodi virtutem superant, aut absolute, aut quoad tam subitam & vehementem operationem, atque in iis condiciones omnes ad sunt voluntarij, ex quo cognoscitur agens esse intelligens, non naturale: Et cum fiant, aut in perniciem hominis, siue corporis, siue animæ, aut ad æmulationem diuinorum & cum sacrarum rerum abusu: non nisi ab intelligentis fieri possunt, quæ & supra hominem sunt, & malæ. Perinde autem fuerit, siue ab illis immediatè fiant; siue ab hominibus ex conuentione & pacto expressis aut tacitis cum ipsis initis. Testantur id maxime inuocaciones, obſtationes, corporum proſtraciones, sacrificia, & alia ceremoniæ à Magis adhibita. Quæ sine dubio ad inuisibilem aliquam virtutem concurrentem pertinent. Immo miratur meritò Porphyrius eos magno imperio aduocantes demones, iubentes morari in aliquo loco, minitantes pœnas, si disceſſerint. Hæc enim & spiritus esse, & malos esse demonstrant. Iam peregrini & incogniti sermonis vsus, ut de fratris vxore narrat Pſellus, diuinatio; ac futurorum prædictio, seu rerum occultarum manifestatio, in nullam naturalem & humanam causam referri possunt. Dæmones autem affectat plurimum, tum ad diuinam æmulandam sapientiam prophetiaq. effingendas, tum ut homines in errorem inducant. Prædicunt autem & reuelant, aut ea quæ à Deo audierunt bonis Angelis reuelata: Quippe inter filios Dei, ut scribit Iob cap. 2. venit & Sathan coram domino. Aut quæ ipsi permittente Deo facturi sunt. Aut ea, quæ ex plurima rerum cognitione, totque sæculorum vsu & experientia colligunt maxima intellectus perspicacitate. Plurima enim nobis occultissima illis sunt manifestissima. Et quoniam homines non ignorat demon plerumq. propensionem naturæ sequi, huius est serius ac diligens obseruator. Aut dæmum ea, quæ etſi futura non sunt, sed præſentia, aut præterita: occulta tamen, quòd in alia mundi parte facta, sua is velocitate cognoscens, quæ in toto orbe sunt, renuntiat nobis tanquã futura. Sed finis fit de hac quaestione dicendi, ad quam Philoſophi hoc loco dubitatio nos induxit.

Herbario
et lapidibus
quibusdam

Ut demones
fuerint
ra prædictio
cant.

TEXTVS.

Δηλον οὖν ὅτι οὐκ ἔστιν εἰς αὐτὴν λόγους ψυχῆς πρὸς τὴν
μαρτυρίαν. οὐτε ἰδὲ ἐκεῖ σχήματα ἄλλα πρὸς τὴν ἰσχυρίαν ἢ πρὸς τὴν
οὐκ ὁμοῦσα ψυχῆ ἄλλα πρὸς τὴν εἰρημότητα. γινώσκοντες ὅτι αὐτὴ ἔστι
ἐκ τῆς ψυχῆς λόγους καὶ οὐκ ἐστὶν ἐκ τῆς ψυχῆς ἄλλα πρὸς τὴν
ἐκ τῆς ψυχῆς. ὁμοῦς δὲ ἔστι πρὸς τὴν εἰρημότητα ψυχῆς. διὸ γὰρ
λογοῦντες τὴν καὶ οὐκ ἔστι πρὸς τὴν εἰρημότητα ψυχῆς. διὸ γὰρ
ἔστι οὐκ ἰσχυρὸς λόγους, οὐδὲ πρὸς τὴν οὐκ ἔστι πρὸς τὴν
πρὸς τὴν οὐκ ἔστι.

Manifestum igitur, quòd eodem modo una utriusque
fuerit ratio anima & figura. Neque enim ibi figura est
praeter Triangulum & eas, quae deinceps: neq; hic anima
praeter dictas. Fiet autem triq. & in figuris ratio commu-
nis, quae conueniet quidẽ omnibus, propria autem nullius
erit figura. Similiter autem & in diuersis animalibus. Quare
ridiculum, tum in his, tum in aliis communem querere
rationem, quã nullius est eorum, quae sunt propria ratio:
neque secundum propriam & indiuiduam speciem, et
omissa, quae huiusmodi est.

Text. 30

periorum & perfectiorum; vt ex textu 49. lib. 4. Physic. cognoscitur. At verò quando facultas sentiens aduenit vegetanti, vtraque actus est, non potestate, in animali: sicut & quando tactui adueniunt ceteri sensus, & sensus motus, aut etiam intellectus: Denique potestate id dicitur esse, quod non est ab altero distinctum, sed cum eo coniunctum. In quadrangulo potestate non actu, triangulus inest; quia coniunctus est, & diuidi potest quadrangulus, duplexque triangulus actu separari. Ita cum facultas posterior sine priori esse non possit: in sentiente non actu, sed potestate, dicitur esse vegetans, quia actu cum illo coniunctum est, at separari potest, & esse sine illo. Nam & continui partes potestate esse dicimus; quondam actu copulatae sunt, at diuidi ac separari possunt & fieri actu. Esse autem sermonem de facultatibus, non de animalibus, inde cognoscas, quod cum generali cognitione contentos nos esse nolit, sed singularum proprietatem quereret: deinceps nihil de animalibus dicit, sed in facultatum explicacione totus occupabitur. Verum etsi hæc quoque non solum de facultatibus, sed de animalibus ipsis intelligi posse diceretur: ab uterque tamen hoc loco Latini ad probandum vniuersæ, inferiorum formam virtute in superiori contineri. Nam hoc loco de solis animalibus est sermo: diuersaque est in cæteris formis ratio; vt in superioribus exposui, cum de formarum multitudine disputarem.

Quare cum hæc ita sint secundum vnum quodque facultatum genus, quod coniunctim aut separatim ab aliis reperitur in viuentibus, querendum est, quanam sit vniuersiuisque viuentis anima, tanquam harum facultatum principium. Neque generali definitione antea explicata contenti esse debemus; sed propria cuiusque animæ ratio querenda est. Quæ, inquam, sit ratio propria animæ plantæ, animæ hominis, & animæ bestiarum. Hæc enim tria sola animalium genera facultatum omnium principia sunt. Præterea etiam considerandum, quam ob causam facultates hæc omnes & gradus vitæ eum seruent inter se ordinem, quem diximus. Cuius ratio sub finem tertij libri explicabitur.

TEXTVS.

καὶ τῶν ἀσθενέων, καὶ τῶν ἐγγύς τῶν κατὰ τὸν νοῦν κινήτων, καὶ ἐν ἑαυτῷ πεδουμένων δὲ ἐν τῷ ἀερισμῷ, καὶ τῶν ἐν τῷ ἀερισμῷ ὄντων ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ ἀσθενεία, ἀλλὰ τὸ ἐγγύς τῶν κατὰ τὸν νοῦν κινήτων, καὶ τῶν ἐν ἑαυτῷ πεδουμένων δὲ ἐν τῷ ἀερισμῷ, καὶ τῶν ἐν τῷ ἀερισμῷ ὄντων ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ ἀσθενεία, ἀλλὰ τὸ ἐγγύς τῶν κατὰ τὸν νοῦν κινήτων.

Et sentientium alia quidem habent secundum locum mouens, alia autem non habent. Vltimum autem est minimum ratiocinationem & diuinationem. Quibus enim inest ratiocinatio mortalium, his & reliqua omnia. Quibus autem illorum vnumquodque, non omnibus ratiocinatio. Sed quibusdam quidem neque imaginatio, alia vero hæc sola viuunt.

COMMENTARIVS XXXIII.

VT hunc textum cum superioribus coniungamus, non est magno opere laborandum. Manifestum enim est, sermonem absolui in postrema superioris textus parte inchoatum. Nam cum explicare cepisset ordinem, quem inter se gradus vitæ & animæ facultates seruant: vt sensus sine ve-

getatione esse nequeat, vegetatio sine sensu percipere sit: & rursum in iis, quæ sentium habent, sensus interdum sit tactus, nec tamen vllus aliorum sensuum, sine tactu reperitur. Aliam nunc in sentientibus varietatem subiungit, quod aliqua simul cum sensu motum habent de loco ad locum, quæ admōdum equus & animalia cætera, quæ incedunt, aut etiam reptant, aut serpunt, aut natant, quid quid dicat Agidius: alia non habent, vt pinguis & conchilia, quæ perpetuò affixa viuunt. Quare vt sensus sine vegetacione esse non potest, vegetatio potest sine sensu: ita & motus nūquam est sine sensu, quia quod mouetur, ad aliquid cogitatum moueri oportet. Sensus tamen potest sine motu esse in quibusdam, quæ cibum habent sibi obuium, nec aliunde mendicare coguntur. Veretamen admonet Philosophus, animalia hæc ipsa, cum de loco ad locum non progrediantur, aliquam tamen habere motum quia duro aliquo, & quod resistat, tangente contrahuntur, humido autem diffunduntur, & extenduntur.

Præterea autem homo habet etiam ratiocinationem & diuinationem, seu cogitationem. Intellegentia veterum aliqui, & optimè Grecique Interpretibus consentaneè, inter quos Themistius vniuersam ratiocinationem intellexit, & Simplicius practicum intellectum. Nimirum significatur rem esse esse ratiocinatio & diuinationem. Sicut enim in textu 19. in eadem intelligente animæ parte usurpauit agidius, & vobis, ita hoc loco usurpauit agidius, & diuinationem. Et quidem Aueroë ipso consentaneè, in alioqui cogitative, tanquam diuersæ ab intellectu virtutis, auctor & patronus esse solet. Nam hoc loco ratiocinatio & diuinationem virtutem speculatiuam interpretatur, & cogitatio uiam, id est, intelligentiam.

Hominem porro, diuinissimum animal, appellat Philosophus vltimum & minimum: quod minimum fortasse cuiuspiam videatur. Sed vltimum dicitur, ut supremum inter sentientia & mortalia omnia, ut quod ascendentes sistimus. Homo enim per intelligentem animam constituitur, quæ vltima virtutum est, ad quam, inquit Themistius, propria natura receptui canit, nec vltius progreditur. Aut inter rationalia & intelligentia, si alia inter rationalium & intelligentium animalium species. Minimum verò, aut eam ob causam, quam habet Philoponus: quia hæc species vt est omnium extrema & primo principio magis propinqua, & quantitate & numero minima est comparatione aliorum animalium. Aut eam, quod vltius distinetur a tota, nec possit in alias contrahi, quæ admōdum in plurimas contrahuntur plantarum vegetans, & bestiarum sentiens. Numero igitur vocatur homo à cæteris, sed viribus vincit. Inferiores animæ magis multiplicentur & diuiduntur, quia imperfectiores & materie propinquiore, magisque potestate: intelligens perfectior & magis actu, summoque actu diuino propinquior ac humilior: materie autem ac potestate propria est diuisio ac multiplicatio, actus vniuersus & imparibilitas.

Pro eodem etiam vtramque vocem, ratiocinatio & diuinationem, usurpatum fuisse, argumento sunt conuenientia verba. Cum enim vtramque nominata inesse homini altera statim prætermisisti solè commemorat ratiocinationem, & quidem bis. Adhuc enim. Quibus inest ratiocinatio mortalium, hæc est hominibus, his & reliqua omnia ante commo-

notata in esse. Dixit autem (mortalium) aut propter intelligentias separatas S. Thomae iudicio, quae absque illo praedictorum intellectum habent. Humanae enim rationi soli, inquit Themistius, tanquam satellites & ministræ facultates ceteræ tribuæ fuerunt. Aut propter caelestia corpora, ut Philoponod placuit, Simplicio, & Aetherior: quæ ut sunt sempiterna, sic nutritione non egent; neque sensibus, qui totentem intellectum excitent. Aut demum propter demones, & heroes, quos ponebant Platonicæ; ut interpretatus est Albertus: respondebitur hic locus superioribus verbis tex. 29. quæ de Dæmonibus & Heroibus fuerunt exposita.

Ceterum in eorum genere, quæ intellectu carēt, quibusdam ne phantasia quidē inest perfecta. Nam imperfectam aliquam inesse omnibus; quæ sensum aliquem habent, dicitur in tex. 20. Alia verò ea sola viuunt; ut equus & animalia perfecta. Non quòd præter illam non habeat etiam sensum; quippe imaginatio est motus factus à sensu. Sed quòd hæc facultas in illis sit præcipua & illustris maxime, atque inter cognoscetes suprema & optima, veluti dux vitæ; quemadmodum in homine intellectus.

DIGRESSIO XIII.

AT non defuerunt, qui bruta hæc animalia ratione quoque uti dicerent. Testis est Plutarchus in lib. 7. de Philosophorum placitis c. 20. sanè ex ijs, quæ in araneis & formicis apparent, ut mittam cetera, permotos fuisse aliquos, ut dubitarent, num intellectu uterentur, scribit Philosophus in tex. 86. lib. 2. Phyl. Rationalis enim facultatis participatio quædam, inquit Porphyrius in libro de Sacrificijs, omnibus competit animalibus, rectitudinem verò, sapientiamque ne hominem quidem adeptum reperire licet, sed & oratione cuncta & ratione, tum interiore, tum exteriori, ut ait, quorum verba non discerni à nobis mirum non sit, cum Barbarorum etiam multorum sermonem minime discernamus, neque tam loqui eos, quam indistinctè vociferari putemus, & omnino rationem in nobis & animalibus brutis nisi secundum magis & minus differre. Sed fortasse quo intellectu rationem in bestijs nominasset, paulo post exponit: omne, inquit, animatum sentiens habet etiam phantasiam, veluti rationem quandam. Phantasiam enim supremam in illis virtutem nominavit rationem. At Aristotelis sunt hæc verba ad initium lib. 8. de animal. historia. Sunt vel in plurimis ceterorum animalium vestigia morū animi humana, quamquam hæc in homine apertius discernatur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fidentia, ira, malitia: atque etiam prudentiæ imago inest in multis. Alia enim eo, quòd magis, minusve habeat comparatione hominis, discernunt. Quippe cum aliqua ex his magis in homine habeantur, alia in ceteris animalibus latius. Constat hoc ita esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habituum, quasi vestigia & semina videmus: & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à beluarum anima propè dixerim. Itaque nihil remotum à ratione est, si partim eadem, partim similia, partim ex proportione in ceteris animalibus habeantur. Et ad initium Metaph. quædam scri-

Abit esse animalia alijs prudentiæ & disciplinæ magis capacia, quæ memoriæ & auditum habent, qui est disciplinæ sensus. Multaque Plutarchus disputat in Opusculo, cui titulum fecit, quòd bruta animalia ratione utantur.

Verissima tamen est Philosophi hoc loco pronuntiata sententia, bestias omnes imaginatione sola, hominem solum inter mortalia intellectu viuere, & rursum in tex. 157. in bestijs quidem confirmabit imaginem inesse, rationem autem non, & ideo nec fidē, nec persuasione, & in lib. de memor. & reminiscētia c. 4. in illis memoriæ quidem esse, ac reminiscētiā in solo homine, quoniam est velut ratiocinatio quædam, cuius capax est solus homo. Cognoscentis enim est dirigere & ordinare: Intellectus in nobis disponit omnia. Intellectui succedit in bestijs imaginatio. Vbi obiter adnotabis, neque estimatiuam, neque aliam vllam sentientem facultatem in animalibus esse imaginatione superiorem, atque ab hac in homine fieri statim transitum ad intellectum. Quibus, inquit, non inest λογισμός, aut imaginatio quodæc, aut hæc sola inest. Inter imaginationem igitur & λογισμός interponitur nihil. Quare nec estimatiuæ, nec memoriæ facultates vllæ sunt ab imaginatione diuersæ, neque διαλογισμός. Porro idem Aristoteles in tex. 80. citato vniuersum hoc animalium genus, nec arte, nec inquirendo, nec deliberando, sed solo naturæ impulsu ac ductu, non secus ac plantas, operari vult. & in 8. lib. de Hist. esse in illis, non rationem, sed rationis vestigium quoddam. Ut enim inquit in homine ars, sapientia, prudentia, sic & in nonnullis inest vis quædam eiusmodi altera naturalis. In canibus, simijs, & alijs quibusdam cernimus quædam, quæ ratione & arte constare videntur. At non arte, sed experimento, imaginatione, & memoriæ constant cœu rationis vestigio & imagine: quippe hæc artis & scientiæ principia sunt. Denique ne in re certa sim nimius: Platonis verba subiiciam, qui de horum animalium generatione sub sibi Timæi sic habet. Gressilium ferarum genus ex his natum hominibus, qui à Philosophia penitus alieni ad caelestia nunquam oculos erexerunt, ex eo, quòd volutionibus illis, quæ in capite peragi solent, vti nunquam sunt. Sed illas animæ partes sequuti, quæ in ventre & pectore dominantur, hoc est concupiscentem & irascentem, non intelligentem partem.

Ceterum ex his, quæ Philosophus tradidit, non bimembris modò animalium diuisio, sed & trimembris partitio fiet. Nec modò dicemus, animalia quædam intellectu, alia imaginatione viuere; sed & quædam solo sensu. Quippe quibusdam dixit solum inesse sensum tactum, alijs sensus omnes & imaginationem, alijs demum intellectum quoque. Quam partitionem apud Themistium quoque reperies in secundo libro de Posteriori Analyti, capite trigesimo quarto, et si pro imaginatione memoriæ nominet; quòd vtraque vox eandem Aristoteli facultatem significet, ut suo loco docebitur. Imperfectiora igitur solo sensu viuunt, quia et si imperfectam quampiam imaginationem habeant, ea tamen non nisi simul cum sensu operantur. Alia imaginatione, si perfectionem adeptæ sint, quæ circa absentia operetur, memoriæque efficiat & experimentum. Alia demum intellectu, qui memorijs & experimentis ratiocinationem addit. Cum autem experimentum vniuersalis & rationis

Dicitur in homine ars, sapientia, prudentia, sic & in nonnullis inest vis quædam eiusmodi altera naturalis. In canibus, simijs, & alijs quibusdam cernimus quædam, quæ ratione & arte constare videntur. At non arte, sed experimento, imaginatione, & memoriæ constant cœu rationis vestigio & imagine: quippe hæc artis & scientiæ principia sunt. Denique ne in re certa sim nimius: Platonis verba subiiciam, qui de horum animalium generatione sub sibi Timæi sic habet. Gressilium ferarum genus ex his natum hominibus, qui à Philosophia penitus alieni ad caelestia nunquam oculos erexerunt, ex eo, quòd volutionibus illis, quæ in capite peragi solent, vti nunquam sunt. Sed illas animæ partes sequuti, quæ in ventre & pectore dominantur, hoc est concupiscentem & irascentem, non intelligentem partem.

OO

Sensus inferioris.

Animæ partitio.